



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Martinii Tridentini E Societate Jesu Sinicae Historiae Decas Prima

Martini, Martino

Monachii, 1658

Tertius Imperator Votingvs. Imperavit annis XXIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11848

*Insignis fides
in Imperato-
re.*

Tum consilium cepit JYNIUS, in quo audaciâne magis mirer, an summam fidem, nescio. Quippe veritus, ne unius socordia toti imperio perniciem afferret; prope avi sepulchrum in domo ad id exstructâ Imperatorem velut captivum includit, ipse tutelæ nomine imperium gubernat. Res mira dictu! juvenem fortunæ suæ securum, & quicquid libéret, pro licito judicantem, ipso triennio eoque amplius ibi detentum, & assiduè ad avitæ virtutis imitationem incitatum, ad eum demum fregit, uti prioris vitæ pœnitens, avo jam moribus esset similior quàm sibiipsi. Raro prorsus exemplo. Pauci enim sunt imperando meliores, peccandi licentiâ à virtutis amore abducti. Multò pronius est, privatæ vitæ modestiam in novâ dignitate dediscere. At JYNIUS nullâ non laude dignus, calcatâ dominandi libidine, cui si obsequeretur, facile potuisset sibi regnum ex toto vendicare, Imperatori optima de se promittenti, imperium restituit, in regiam postliminiò, applausu omnium ordinum, deducto. Ibi tantum abfuit, ut ultionem peteret ex JYNIÒ, ut eum summis etiam honoribus excultum, patris exinde loco diligeret. Magnâ dein omnium approbatione imperium habuit, nusquam ab avi vestigijs deflectens; regulis etiam, qui ejus licentiâ offensi secesserant, ad officium suâ sponte redeuntibus, postquam didicerunt TAIKIEUM novo invento resipuisse. In hunc modum restitutam publicam quietem, longa felicitas excepit, JYNIÒ cumprimis adnitente, cujus consilio Imperator omnia moderabatur.

TERTIUS IMPERATOR VOTINGVS.

Imperavit annis XXIX.

*Cyclo 17. anno
18. ante Christi-
num 1720.*

Hic superioris filius nec patri virtutibus impar, ubi vidit JYNIUM decrepitâ jam ætate esse; ne nihil de tanto viro post ejus obitum superesset, KIUTANUM amplæ ditionis Præfectum ei committit iisdem artibus imbuendum, quibus ipse in eum usquediem Imperatoribus bello ac pace tantopere profuisset. Nec spes VOTINGUM nec metus fefellit. Nam & JYNIUS octavo post illius inauguratione-

augurationem anno diem obiit supremum, veris Imperatoris populique totius lacrimis deploratus; & KIUTANUS peritiam rerum gerendarum adeptus. felici successione defuncti desiderium mitigavit. Magno quidem usui VOTINSO fuit; omnia cum domi. tum foris recte atque ordine agebantur. Tantum unius viri virtus valet, si in Principem incidit, veri capacem.

QUARTUS IMPERATOR
T A I K E N G U S.

Imperavit annis XXV.

TRes deinceps Imperatores sequuntur, de quibus nihil memoria dignum reperio, præter annum, quo quisque coepit imperare, quoque desijt. Primus TAIKENGUS VOTINGI filius, videtur sine prole mortuus, quippe cui defuncto frater natu minor successisse scribitur.

Cyclo 17. anno
47. ante Chri-
stum 1691.

QUINTUS IMPERATOR
S I A O K I A V S.

Imperavit annis XVII.

TAIKENGUS frater fuit; neque aliud de ipso exstat.

Cyclo 18. anno
12. ante Chri-
stum 1666.

SEXTUS IMPERATOR
Y U N G I E U S.

Imperavit annis XII.

ET hic antecedentis frater, deficiente Sobole sceptri hæres fuit, ex aliâ tamen matre natus.

Cyclo 18. anno
29. ante Chri-
stum 1659.

I 2

SEPTI-